

*Digestorum Lib. XLIX. Tit. I.***De publicis judiciis.**

§.1. *Publica judicia* sunt, quæ Lege peculiari de crimine notabili introducta sunt, datâ cuilibet de populo executione s. potestate ob crimen illud solenni iudicio Reum accusandi.

*Publica crimina* sunt, in quibus puniendis damnum, quod per illa reip. illatum, vindicatur, & ut hoc vindicetur, ordinariæ & certæ criminales pœnæ legibus publ. iudiciorum statutæ.

§.2. Delicta publica sint, an privata, cognoscitur ex ratione læsionis, quæ in considerationem venit, estq; læsio vel *privati*, & ita *ordinariè* apud magistratum quatenus talem civiliter agitur, *extraordinariè*, quatenus consequenter tendit ad læsionem reip. etiam criminaliter.

vel *reip.* 1. si pœna ordin. non statuta, *extraord.* vocatur delictum,  
2. si gravissima læsio, & pœna statuta, publicum delictum est, & plerumq; quivis de populo potest agere.

§.3. *Species:*

1. Quando in ipsam majestatem vel statum reip. peccatur, ut *in crimine læsæ majestatis.*

2. Quando publ. civium securitas cæde & vi turbatur.  
*Hinc Homicidium, Parricidium, Veneficium &c.*

3. Quando contra seminarium reip. matrimonium, peccatur:  
*Per Concubitus illicitos.*

4. Quando magistratûs officium quis vel non rite suscipit: *Crimen ambitus.*  
vel non ritè gerit: *Crimen repetundarum, de residuis.*

5. Quando Res ad universitatem pertinentes vel sacræ auferuntur. *Crimen peculatus, sacrilegii.*

6. Quando *ἀντάγεια* impeditur. *Crimen fraudatæ annonæ.*

7. Quando Civilia Negotia, sine quibus resp. consistere nequit, intervertuntur: *Crimen falsi.*